

momenti, & qua reverentia tractanda, docet Clemens Papa & Martyr in quadam epistola ad Jacobum fratrem Domini, quæ inscribitur de sacris vestibus & vasibus. Legat eam qui de hac re doceri voluerit. De benedictione luminum. solum adferam decretum Concilii 4. Toletani. Illud enim Concilium de benedictione cerei paschalis decernens cap. 8. suorum decretorum, ita ait: Luceana & cereus infra vigiliis apud quosdam Ecclesias non benedicuntur, & à nobis cur benedicantur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum hæc solemniter benedicimus, ut sacra resurrectionis Christi mysterium quod tempore hujus mortis votivæ advenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionisque Hispaniæ in Ecclesiis commendatur, dignum est propter unitatem pacis, ut in Gallicanis Ecclesiis conferretur. Nulli autem impune erit qui hoc contempserit, sed patrum regulis subjacebit. Hæc Concilium Tolet. Quo in loco hoc solum admonere oportet, ut licet talis cerei benedictionem omittere, non sit contra fidem, erit tamen contra fidem, vilipendere, & credere nullius valoris & momenti, immo mortifera esse quæ Ecclesia congregata statuit observanda. Valeant ergo impii vviclephistæ, & vereantur appellare magicos

& necromanticos tot sanctos viros, quorum doctrina & sanctitate fulget Ecclesia, ut sol & luna. Ipsi enim potius dicendi sunt necromantici & incantatores, qui diabolica astutia homines idiotas & simplices demerant & incantant, illos à veritate fidei avertentes, & ad impia dogmata convertentes. Sed opus est ut eorum objectioni respondeamus. Obijciunt enim nobis vviclephistæ, quod nos volumus benedictionibus nostris creaturas facere meliores, quam Deus eas per naturam fecerit. Talis autem creaturarum profectus, ut meliores efficiantur, nulla (ut ajunt) experientia cognoscitur. Ridiculum est ergo eas benedicere. O forte argumentum. Dic, nonne ex Evangelio (Luc. 17.) constat eum qui habuerit fidem sicut granum sinapis, habere tantum virtutem, ut si dixerit arbori moro, transplantare, transplantetur statim? At cum ante fidem susceperat hoc non possit, convincitur ut per fidei accessionem fiat melior. Quid ergo prohibet ut idem dicamus de aliis rebus quæ benedictionem suscipiant ut meliores fiant, quam per naturam fuerint? Non quod homo eas meliores faciat, sed Deus ad preces ipsus benedicit. Sed de hac re jam supra in titulo de aqua fecimus longiore disputationem: quapropter ad illum locum mitimus lectorem.

## FINIS LIBRI SEXTI

## F. ALFONSI DE CASTRO, ZAMOREN,

minoritæ, adversus Hæreses.

IN LIBRUM SEPTIMUM,

## PREFATIO.

Quando hoc opus aggressus sum, decreveram in tot libros illud partiri, quot sunt litteræ in alphabeto. Credebam enim sub unaquaque alphabeti littera tot reperiri dictiones ab illa incipientes, quæ significarent res de quibus aliquando fuissent hæreses ortæ, ut succederent ad unum justum librum absolvendum. Verum cum ad hunc locum perveni, agnovi non ita ut decreveram, fieri posse nisi forte justam unius libri mensuram minuere vellem: quoniam sub hac sexta littera alphabeti, videlicet, f, solas tres dictiones, easque nimis steriles reperi, de quarum significatis aliqua pertraherent hæreses. Quare cum in hoc loco agnoscerem me frustratum esse spe mea: antequam aliquid scribere cepissem, processi ad sequentis litteræ explorationem faciendam, rimens, ne quid simile in ea mihi postea accideret. Ea igitur probe (ut decebat) explorata, unicum dumtaxat sub ea reperi dictionem, de cujus significato fuisset aliqua hæresis pronuntiata. Hoc idem reperi in aspirationis nota videlicet, h. Quapropter nutabundus hoc loco hæsi, nesciens quo me venterem: quoniam si juxta id quod primo decreveram, præsequi vellem, in inanis gloria notam merito incurissem, eo quod ex multitudine librorum in opere gloriam fuisset visus captasse. Omnia igitur mihi circumspicienti, visum est prudentius fore sententiam semel decretam mutare, quam male definitam pertinaciter tueri: præsertim cum lex divina (Exod. 12.) doceat modum ad cujus imitationem id corrigere valeamus. Deus namque olim precipiens populo Judaico spum agni paschalis, mandavit ut unusquisque tolleret agnum per domos & familias suas. Verum considerans multas esse pauperes domos, intra quarum lares minime posset una nocte integer agnus devorari: remedium adiecit, ut quisque talis jungat sibi vicinum qui conjunctus est domui ejus, quousque tot sint anime quæ sufficere possint ad esum totius agni. Quælibet præcedentium litterarum alphabeti adeo dives fuit, & tantam habuit dictionum familiam, ut sufficiens fuerit ad perficiendum unius libri justum volumen. At hæ tres quæ nunc proxime sequuntur, adeo pauperes sunt, & tamen modicam habent familiam, ut duas illarum, ne dicam una, vix sufficiant ad unum integrum absolvendum. Idcirco decrevi omnes has tres alphabeti litteras in unam domum concludere: ut librum quem earum qualibet sola absolvere ob suam penuriam non poterat, simul junctæ absolvoant. Quod si forte in posterum aliquid simile deprehendero, idem me facturum decerno.

F.

## F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

## ADVERSUS HÆRESES.

LIBER SEPTIMUS.

## FATUM.



UM varie fuerint de hac re philosophorum sententiæ, nullam tamen earum hic pertrabo, sed juxta meum primum institutum solum enarrabo, quid senserint hi qui se Christianos profitentur & jactant, & si nihil minus sint. Fuit ergo de hac re quidam error asserens, fato conversationes hominum esse imputandas. Hujus erroris auctor fuit (ut Augustinus libro de hæresibus capite tricesimo quinto ait) Bardesanus quidam Syrus, vir doctus, quem Augustinus dicit prius fuisse catholicum, & postea in Valentini errores fuisse lapsum, addidisseque de suo hunc quem diximus errorem. Verum Eusebius Cæsariensis libro quarto historiæ Ecclesiasticæ capite ultimo de hoc Bardesane loquens, aliter quam Augustinus de illo sentit. Dicit enim illum in schola Valentini nutritum, postea vero cum magistri errores notasset, ad veram fidei regulam rediisse, quamvis non omnes illius errores reliquisset asserat. Dicit etiam illum scripsisse contra Marcionem, & alios hereticos, & ad Antoninum Imperatorem dialogum de fato, quem dialogum Eusebius de nullo errore notat, sed potius eum appellat dialogum potentissimum. An autem ita senserit ut Augustinus illi impingit, ego non possum desinere. Epiphanius Episcopus in libro octoginta hæresum, hæresi 56. de hoc Bardesane differens, aliter quam Eusebius & Augustinus de illo sentit. Sic enim ait: Post hos deinceps sequitur Bardesianus quidam sic vocatus. Bardesianus autem hic, ex quo hæresis Bardesianitarum orta est, ex Mesopotamia secundum genus erat, ex inhabitantibus civitatem Edesseorum. Qui primum quidem optimus vir fuit, & libros non paucos conscripsit, quando sanam mentem habebat. Nam ex sancta Dei Ecclesia procedebat, doctus existens in duabus linguis Græca & Syrorum. Augaro autem Edesseorum principii vitio sanctissimo familiaris erat primum, & simul ejus adjutor & ipsius eruditionis particeps. Duravit post illius obitum usque ad tempora Antonii Cæsaris, non pii appellati, sed Veri. Et multa in Abidan astronomum contra fatum differens, collegit. Sed & alia ejus scripta secundum piam fidem circumferuntur. Apollonio vero Antonini amice contradicebat, admonens ut negaret se ipsum Christianum dicere. Hic autem ferme in confessionis loco constitutus erat, sermoneque prudentes respondit, pro pisate viriliter defensionem suscipiens, mortem se non formidare dicens, quam necesse sit adire etiam si regi non contradiceret. Et sic vir hic per omnia magnopere ornatus erat, donec in errore sectæ suæ incidit, factus instar pulcherimæ navis, cui incomparabile onus immittitur, & quæ juxta ripas portus tracta est,

& totum mercimonium perdidit, & alii qui navem ascenderunt mortem induxit. Corruptur enim hic per Valentianos, & ex ipsorum improbitate, venenum & zizania horum haerit. Multa autem & ipse alia principia emissionisque ac productionis narravit, & abnegata mortuorum resurrectione, suam hæresim docuit. Hæc tunc de Bardesane, sive Bardesiano Sanctus Epiphanius, qui etiam dicit illum in Valentini errores fuisse lapsum, aperte tamen dicit illum contra hæresim de fato loquentem scripsisse. Verum & si hic Bardesane hanc hæresim non fuerit tutatus, non desuit tamen qui illi impense favorit. Hunc enim errorem docuit Priscilianus, qui dixit homines esse fatalibus stellis alligatos, & ipsum corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, constituens in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & hoc modo alia signa per cæteras corporis partes distribuit usque ad plantas, quas Piscibus tribuit: quia hoc ultimum esse signum. Astrologi docent. Et hujus erroris non meminit Guido cum de Priscilianis loquitur: quod valde miror: cum aperte illum prodiderit Augustinus quem Guido semper imitatur. Hæc ergo doctrina facile convincitur hæresicos, quoniam aperte tollit hominis arbitrium, ut nullam profus in eligendo habeat libertatem: quoniam si homo liber est in eligendo, ita ut res aliter agere possit quam agit, consequens est ut homo non sit fatalibus astris alligatus. Quod si ex astrorum virtute pendat, quicquid acturus est homo, & non ex sua electione: non est ergo hominis arbitrium liberum. At hominem esse in suis electionibus liberum, infra Deo præstante ex sacris litteris offendimus. Præterea si fato omnia reguntur in homine, non erit quod laudemus in homine aut vituperemus. In his enim quæ à natura insunt, nec laudantur, nec vituperantur. Rufus, si homines à fato ducuntur, nulla consultatio erit opus, quoniam in his quæ non possunt aliter evenire, superflua est omnis consultatio. Nullus enim erit adeo demens, ut de crastino solis ortu, vel de hodierno occasu consulat, quia quocumque adhibito consilio non est in nostra prestante, quin hodie sol occidat, & cras oriatur. Non erit etiam opus pugnare adversus vitia: immo inanis esset talis pugna, sed expectandum erit, quo fato ducant, quibus homo non potest repugnare: cum sit (ut dicunt) fato subjectus. Frustra igitur persuadetur boni amor & profectio, & dissuadetur vitium. Frustra dixit Propheta (Psalm. 33.) Declina à malo, & fac bonum. Frustra etiam dixit Paulus (1. Cor. 6.) Fugite fornicationem. Quis ergo suadebit alicui illa quæ non sunt sub ejus potestate? Nullus nisi demens suadebit alicui ut ordinem cæli evertat. Deinde si fato homines subjiciuntur, non erit opus legibus. Ut

Tom. I.

Illi

quid

suam dividat, & corpus suum tradat, ut ardeat? Huic autem monachorum questionem respondit Basilius huiusmodi verbis. Si memores fumus domini dicitur (Matth. 7.) Faciant enim omnia ut videantur ab hominibus: sed & illud, quod respondit illis dicentibus: Domine, nonne in nomine tuo demonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? cum ait ad eos: Nescio, nomine virtutes multas fecimus? Non quia mentiti sunt, sed quia Dei gratia abusi sunt ad proprias voluntates, quod utique alienam est a charitate Dei. Hæc Basilius. Sufficiant hæc virotum sacrorum testimonia, quibus comprobabimus veram esse ac litteræ germanam expositionem eam quam nos prius proposueramus. Patet etiam ex eorum omnium testimonio concordari, fidem solum sine operibus non sufficere. Sed reliqua testamenti novi percurram testimonia. Apud Joannem cap. 15. Dominus Jesus Christus ait: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum pater meus. Tollere autem eum (ut infra ipsimet ait) est mittere illum in ignem ut ardeat. Quam ergo non ob aliud condemnatur, quam quod fructum non fecerat, convincitur inde opera esse necessaria. Rursum de ultimo iudicio dominus differens (Matth. 25.) vitam æternam promittit his, qui opera pietatis in pauperes & egenos exercuerunt, & ignem æternam decernit illis, qui eiusmodi opera facere contempserunt. Veniat ergo Lutherus, & extollens se supra omne quod dicitur Deus, Dei sententiam revocet, & gloriam promittat hominibus sceleratis, si credant. Promissiones certe huiusmodi sunt promissiones serpentis antiqui, qui primis parentibus scientiam promittens, scientiam sustulit, & ignorantiam loco ejus subrogavit. Sic mihi videtur facere Lutherus, qui dum gloriam æternam solum credenti promittit, ignem æternum sibi & illi parat. Deinde, adolecenti petenti a domino, quid faciendo vitam æternam possideret, respondit Christus verus magister: (Matth. 19.) Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ecce, hic vides mandata exigi tamquam necessaria ad vitam æternam consecutionem. Nam si necessaria non essent, non jam præcepta, sed consilia dicenda essent. Hoc enim existimo esse discrimen inter præceptum & consilium, quod hoc suadet tamquam bonum, non tamen exigitur ut necessarium: illud vero sic exigitur, ut de illo ratio reddenda sit. Quod si necessaria non sunt, præcepta dicenda non sunt. Non enim præcipiuntur, nisi ut fiant. Hoc autem de mandatis servandis iterum repetit Dominus, quum in cælum ascensus discipulis suis, ait: (Matth. ult.) Euntes, docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Non dixit, docentes eos credere tantum, sed servare omnia. Non ergo sola fides sufficit. Et apud Marcum, cap. ult. eodem temporis articulo ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Ex quo patet etiam ultra fidem requiri baptismum. Non ergo sola fides sufficit ad salutem: aut si hæc sola sufficit, baptismus non est necessarius. Quam vero dixit: Qui autem non crediderit, condemnabitur: docuit baptismum sine fide non professe, quemadmodum nec fides sine baptismo. Paulus etiam in ea quæ est ad Romanos epistola, (Cap. 2.) ait: Non audientes legis justi sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Auditores legis hic vocat eos, qui ex auditu crediderunt: quoniam fides est ex auditu. Et in priore ad Corinthios epistola, (Cap. 14.) ait: Si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil sum. Quibus verbis apertissime ostendit, fidem solum non sufficere, sed esse etiam necessariam charitatem.

Et rursus eisdem Corinthios admonens, (Cap. 16.) dicit: Stare in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia autem vestra in charitate fiant. Quibus verbis post fidei admonitionem addidit charitatis opera, innuens fidem sine illis non sufficere ad salutem. Et in posteriore epistola ad eisdem (Cap. 5.) ait: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Ecce patet præmia distribuenda singulis juxta eorum operum qualitatem. Verum, quid moramur in re tam aperta? Beatus enim Jacobus in sua catholica epistola, (Cap. 1.) ait: Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in suo facto erit. Et in alio ejusdem epistolæ capite: Vis autem scire & homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Et iterum ibidem: Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Et rursus: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Vides quam aperte, quam sine ulla involucri hanc sententiam docet beatus Jacobus? Tam clara certe sunt hæc pro nostra, hoc est catholica doctrina, testimonia, ut Lutherus eorum claritatem & efficaciam perspicens, nesciens quo se diverteret, ad commune omnibus hæreticis asylum confugiat, dicens talem epistolam non esse Jacobi Apostoli, neque apostolico spiritui dignam. Eo eandem etiam causam negat librum Apocalypsis: nimirum quia per illius testimonium temeraria Lutheri revincebat doctrina. In eo enim libro, (Cap. 14.) sic dicitur: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Amodo enim jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequantur illos. Et iterum: (Cap. 22.) Et alius liber apertus est: quæ est vita, & iudicari sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Et rursus: Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Propter hæc ergo tam clara horum librorum testimonia, quæ adversus Lutherum militant, Lutherus decrevit his libris fidem non præstare, dicens eos non esse ex canone sacrorum librorum. Verum de hac re in primo hujus operis libro, capite secundo disseruimus. Ante enim quam ad pugnam accederemus, ne forte in posterum quid simile, ut nunc, contingeret, de armis utriusque parti communibus disputavimus, ut prius conveniret inter nos de armis quibus esset pugnandum. Ibi ergo ostendimus hos libros esse canonicos: quapropter non est quod amplius de hac re disputemus. Accedit ad hæc, quod si sola fides iustificaret (ut Lutherus ait) omnia in uno mandato, videlicet in fide, completerentur. Paulus tamen dicit (Galat. 5.) omnia in uno mandato completri, nempe in charitate, non autem in fide. Sed charitatem nominans, fidem includit, quæ est ejus fundamentum. Quod si forte Lutherus propter hæc testimonia dicat se intelligere de fide formata, quæ vivit per charitatem illam foventem, tunc convenit inter nos, quoniam nos etiam dicimus talem fidem iustificare, quamvis de illa etiam non admittamus quod sola iustificet. Nam si fides ut iustificare possit, opus habet charitate: multo verius charitas dicenda est iustificatrix, à qua habet fides ut iustificet quam ipsa fides, quæ per charitatem iustificat. A forma enim, quæ rei perfectionem præstat, capitur ipsius rei ut substantia, ita & proprietates, & denominationes. Paulus autem finem legis dicit esse charitatem, & non fidem. Præterea, quomodo fides potest esse sola sine operibus, si ipsa fovet & charitatem? Charitas enim non est

est otiosa, quoniam (ut ait Paulus ad Galat. 5.) In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium. Sed fides quæ per charitatem operatur. Et Dominus apud Joannem: (Cap. 14.) Si diligitis me, mandata mea servate. Si ergo charitas adest, operatur. Quod si non operatur, jam charitas nullum est signum. Unde beatus Joannes in sua prima catholica epistola, (Cap. 13.) sic ait: Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habentem, & claverit viscera sua ab eo, quomodo est charitas patris in eo? Probatio ergo dilectionis (ut ait beatus Gregorius) exhibitio est operis. Dicamus ergo non solum fidem iustificare, sed etiam opera esse necessaria. Qui autem sola fide contentus, sine operibus putat esse sibi satis, videtur mihi similis esse illi homini, de quo dicitur in Evangelio, (Luc. 14.) quod cepit edificare, & non potuit consummare. Nam fides fundamentum est, super quod, veluti super quamdam firmissimam petram, Deus fundavit Ecclesiam suam: super quod etiam nos omnes fundari præcipit Paulus, (Coloss. 3.) ut stabiles & immobiles simus, à spre Evangelii quod audivimus. Ideo beatus Augustinus libro de fide & operibus, cap. 16. interpretans illud Pauli ex priore ad Corinthios epistola, ubi dicitur Christum esse fundamentum, hæc ait: Si Christus, & proculdubio fides Christi. Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit, cit. Hæc Augustinus. Si ergo fundamentum est fides, aliud superedificatum erit, quoniam qui fundamentum jactat, de reliquo ædificio cogitat. Illud vero quod superedificandum est, ut ædificium maneat laudabile, est opus bonum. Unde Paulus in priore epistola ad Corinthios, (Cap. 3.) ait: Si quis autem superedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides, preciosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Ex quibus Pauli verbis patet opera esse illa, quæ superponenda sunt fundamentum Dei. Qualiter autem quisque superedificavit, ignis probabit. Qui ergo fide sola contentus, opera contemnit, is merito cepit edificare, & non potuit consummare. Propter hæc urgentissimas rationes, quæ apertissime convincunt opera esse necessaria ad beatitudinem assequendam, posteriores Lutherani volentes ducis sui sententiam corrigere, fatentur ingenue operum necessitatem: quia sine illis, ut ajunt, vera fides esse non potest: illa tamen opera nihil profus ad hominis iustificationem valere dicunt. Nam quidam Joannes Rivius Athendioriensis ex Lutheranorum factione in quadam epistola ad amicum innotinatum quæ inscribitur de sola fide, postquam opera fidei conjunxerat, sibi ipsi objicit, atque respondet, sic inquires: Opera igitur, dicit aliquis, requiruntur. Fateor, vero non ut justificationem per ea assequamur, & hæredes existamus æternorum bonorum, id quod statim à renascentia sumus: sed ut fidem per ea nostram comprobemus, palamque omnibus notam ac testatam faciamus. Namque ea demum solida ac perfecta est fides, quæ est per charitatem efficax, ut Apostolus inquit. Quemadmodum enim cuiusmodi sit arbor, de fructibus cognoscitur: ita vera ne sit fides, an secus, ex operibus atque factis perspicitur. Et aliquibus interpositis addit: Nam ne erres, fides in Deum plena atque perfecta, non simplex ulla credulitas, sed persuasio firma est cum spe fiduciaque erga Deum juncta: sic ut non spei minus in fide, quam credulitatis addit. Nam simplex illa de Deo persuasio, solum aditus quidam & velut janua est ad ipsam solidam ac perfectam fidem. Hactenus Joannes Rivius. Eandem sententiam do-

cet quidam Spangebergus in sua Margarita theologica, in titulo De operibus, quæst. 5. ubi sic ait: Non potest fides existere cum mala conscientia, quia fides est fiducia, quod Deus sit nobis propitius, mala conscientia iudicat contrarium. Item qui non agunt poenitentiam, sed indulgent viriosis cupiditatibus, non retinent fidem. Et in eodem libro in titulo de fide, iterum ait: Fides non tantum est notitia historice de Christo, sed est vera fiducia cordis, quæ assentitur promissioni Evangelii, præcipue autem significat fiduciam misericordie promissæ propter Christum. Hæc ille. Philippus Melanct. illis omnibus doctor, & ut credo, istorum omnium dux & magister, in suo lib. de Locis communibus, in titulo De bonis operibus, hæc ait: Qui non agunt poenitentiam, sed indulgent viriosis cupiditatibus, non retinent fidem. Et in titulo De gratia, & justificatione, sic ait: Fides significat haud dubie in hac causa apud Paulum, fiduciam misericordie promissæ propter Christum. Et si autem indocti quidam Sycophantæ rabiosi reclamant, & negant fide significari fiduciam misericordie, tamen nihil dubio provocare ad omnes doctos, & bonos viros. Et aliquibus interpositis subdit: Fides igitur hec habet correlativa ad misericordiam tamquam ad objectum. Quare cum dicitur, fide iustificamur, ita recte intelligi hæc figura poterit, cum transformabitur in correlativam. Iustificamur per misericordiam promissam propter Christum: sed hæc misericordia fide apprehendenda est. Hoc enim dicit Paulus, reconciliari homines fiducia alieni beneficii, non propter propriam dignitatem, seu qualitatem operum. Et post pauca Theologis scholasticis detrabens, iterum ait: Scholastici cum dicunt hominem per gratiam iustificari, nihil ibi dicunt de fiducia misericordie, sed somniant hominem propter propriam dignitatem, & novitatem illam, seu propriam munditiam sine fiducia misericordie pronuntiare iustum. Hactenus Philip. Melanct. In quibus verbis multa sunt reprehensione digna, & oportet singula annotare ut omnibus palam fiat ejus malicia. Primo contra Theologos Scholasticos manifestam proponit calumniam, dicens illos somniant hominem propter propriam dignitatem sine fiducia misericordie divine esse iustum. Disperam si hoc aliquis scholasticus Theologus ex his qui ab Ecclesia pro catholicis habentur, unquam asseruit: omnes enim fatentur neminem sine misericordia divina aut salvari aut iustificari posse. Omnes scholastici fatentur cum Paulo (Tit. 3.) non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam Dei salvos nos fieri, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti. Deinde quod negat hominem per gratiam iustificari, irridens scholasticos Theologos, hoc asserentes, contradicit Paulo in epistola ad Titum (Cap. 3.) dicenti: Iustificati gratia ipsius, hæredes sumus secundum spem vitam æternam. In quibus verbis Paulus apertissime dicit homines iustificari gratia. Et certe si bene adverteret Philippus Melancton gratia virtutem & propriæ naturæ conditionem, aperte intelligeret, nos magis tribuere divine misericordie & bonitati, cum dicimus, hominem iustificari per gratiam, quam si dicamus illum iustificari per fiduciam misericordie promissæ. Nam fiducia illa misericordie promissæ opus nostrum est, quamvis misericordia ipsa cui fides, sit divina. Et inde necessario consequens est, ut qui dicit hominem per fiduciam misericordie promissæ iustificari, dicat etiam hominem per proprium opus suum iustificari, quod maxime derogare videtur, præsertim juxta illorum sententiam, merito Christi. At cum diximus hominem per gratiam iustificari, totum tribuimus glo-

minatur furtum? Quis non horret homicidium qualecumque? Quis non execratur patricium? Quis non odit adulterium? Quis unquam perjurus non male audivit? Quis unquam laudavit iusti fœderis violationem? Omnia tamen hæc, et quæ sunt alia peiora, habent fidem Lutheri tamen permittit. Excommunicatio ideo ab eo contemnitur, quia solam fidem sufficere putat: quæ propter si credit, quantumlibet & quomodolibet excommunicetur, nihil putat illi obesse excommunicationem. Sæpe enim contingit homini aberranti, rectamque viam relinquenti intrare per sylvam densam, credens illic esse veram & rectum iter: cui paulo progredienti obstitunt densi rami arborum: ille autem, ne retrocedat, rumpere nititur. Quod si ulterius aliquid aliud impedimentum fortius se opponat, quicquid illud sit, omnino aut frangere, aut evellere, aut quoquo modo tollere conatur, & ne inceptam semel viam deserat. Sic mihi videtur Lutherus fecisse. Nam cum hunc, quem diximus, turari cœpisset errorem, objiciebatur illi sacramentorum efficax virtus, prosternit omnia sacramenta: opponebatur contritio, dejecit contritionem: obstitit factis factio pro peccatis, tollit profus satisfactionem. Hæc autem omnia, ne illum priorem errorem deserat: sicque factum est, ut quo semel prodidit definiendi temeritas, conservaverit postea & auerit tuendi pertinacia. Frangas, inquit Quintilianus, citius quam corrigas quæ in pravum induruerunt. Verum ad nostrum institutum revertamur, & omnis argumentis ad scripturam iudicium revertamur. Sed antequam disputare aggrediamur duo prius admonere oportet, ut intelligamus nostræ disputationis scopum, & non disputemus frustra ne scientes de quo contendimus. Primum quod præmonere oportet est nos in hac parte de illa solum justificatione loqui, quæ quis ex peccatore sit iustus, quæ à theologis scholasticis vocatur prima gratia. Nam est alia justificatio, quæ iustus sit iustior, prout Joannes in Apocalypsi ait (cap. 22.) *Qui iustus est, justificetur adhuc*. Sed de hac justificatione in presentiarum non loquimur, quoniam infra commodiorem locum huic disputationi dabimus, in titulo De operibus. Alterum quod admonere oportet est varias esse significationes hujus vocis, fides, non solum apud prophanos auctores, sed etiam apud sacras litteras. Nam aliquando fides, idem est quod fidelitas, quæ opponitur fraudulentæ. Et juxta hanc significationem dicimus aliquem fideliter rem aliquam agere, quando illam agit sine fraude & sine negligentia. Hanc fidem diffinit Cicero lib. 1. officiorum, sic dicens: Fides est dictorum conventorumque constantia & veritas. Ex quo (quamquam hoc videbitur fortasse cuiuspiam durius, tamen ut audeamus imitari stoicos, qui studiose exquirunt unde verba sunt ducta) credamus, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem. Hæc Cicero. Et Terentius in Andria: Tristis feyeritas in est in vultu, atque in verbis fides: quibus locis fides ponitur pro veritate sine fraude & sine mendacio. Ab hac fide dicitur fidelis is qui verax est. Sic capit Paulus fœpissime præsertim in prioribus ad Tim. epi. ubi ait: (1. Tim. 1.) *Fidelis sermo est omni acceptione dignus quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. Fidelem sermonem dixit pro veraci. Et juxta eandem significationem usus est hoc nomen fides. Iterum in eadem epistola, dicens: (1. Tim. 2.) *Fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. In eadem etiam significatione accepit Joannes eam vocem in Apoc. cap. 1. & 3. cum dixit, Christum esse testem fidelem. Hæc fidei

significatio usus est Propheia (Psal. 32.) quando invitans nos ut laudemus Deum, causam reddens ait: *Quia rectum est verbum Domini & omnia opera eius in fide*, hoc est, omnia opera Dei sunt vera & non fucata, neque omentita. Alio modo capitur fides, pro sponfione sive jurjurando quo nos adstringimur ad aliquid faciendum. Hoc modo accepit Virgilius octavo Æneidos, quum dixit: *Accipe da fidem*. Juxta hanc significationem solemus latine dicere, liberare fidem, pro eo quod est, facere quod promissum erat. Juxta hanc significationem apud eos qui veram linguæ latinæ agnitionem habent, dicitur publica fides id, quod vulgariter dicere solemus, salvum conductum, aut publicam securitatem promissionem. Hanc significationem usus est B. Paulus in prioribus ad Timotheum epistola cap. 5. ubi hæc ait: *Adolescentes autem viduas devota. Cum enim luxuriose fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Fidem dixit pro voto aut promissione castitatis servandæ quam in viduitate dederant, & quia hanc promissionem non adimpleverant, sed potius violaverant nubentes, ideo dicit illas primam fidem irritam fecisse. Potest etiam & in hac significatione accipi id quod in epistola ad Romanos cap. 3. idem Paulus ait: *Nam quid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit?* Fidem dixit pro promissione: Juxta quam Deus non deficit, ut non redderet quod promissit. Nam si non reddidit, non fuit culpa illius, sed incredulitas Judæorum quæ fecit illis indignos ad recipiendas Dei promissiones. Non enim Deus promiserat omnibus præmium, sed solum creditibus. Et hunc esse verum Pauli sensum, aperte convincitur per ea quæ statim subdit: *Est autem (inquit Paulus) Deus verax, omnis autem homo mendax*, sicut scriptum est (Psal. 50.) *ut justificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris*. Tertio modo capi solet fides pro fiducia; ita accepit Terentius in Phormione, dicens: Ita ne parvam mihi fidem esse apud te, hoc est, parum mihi fidis. In hac etiam significatione accepit Cicero in oratione pro Quinto Ligario, cum dixit: *Cujus ego causam, animadvertisse quælo, qua fide defendam, cum prode meam*. In quibus verbis Cicero voluit ostendere quantum haberet fiduciam obtinendi causam Quinti Ligarii, quam tuendam susceperat. In sacris scripturis frequens & apertus est hujus significationis usus. Et primo, ille est aperitissimus locus ubi beatus Jacobus cap. 1. ait: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans*. Postulare in fide dixit, pro eo quod est, postulare eum fiducia & confidentia divinitæ bonitatis, quod dabit postulatum. Juxta hanc significationem accepit Christus, ipse salvator noster, cum dixit: (Marc. 12.) *Omnia quacumque orantes petitis, credite quia accipietis & sent vobis*. In quibus verbis, credite dixit, pro confidente. Et juxta hunc modum accipiendum est id quod Petro dixit (Matt. 14.) reprehendens eum: *Modice fidei quare dubitasti?* Manifestum est etiam id quod Joannes de Christo salvatore nostro loquens, ait: *Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebatur semetipsum eis: eo quod ipse nosset omnes. Credere se eis, dixit, pro eo quod est, se fidere illis. Quarto modo accipitur fides pro eo quod vulgo conscientiam dicimus. Hoc modo accepit Cicero in oratione pro Cælio, ubi hæc ait: *Sed vestra sapientia tamen est, Judices, non si causa iusta est, viris fortibus oppugnandi Marcum Cælium, ideo vobis quoque vos**

causam putare esse justam, alieno dolore potius quam vestra fidei consulenti. In quibus verbis, contulere fidei dixit, pro eo quod vulgo dici solet, agere secundum conscientiam. Hanc significationem usus est Paulus cum in epist. ad Rom. cap. 14. ait: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Quibus verbis Paulus significare voluit, peccatum esse omne quod reclamante conscientia, sit. Sic enim locum illum interpretatur Theophylactus qui in illum locum, hæc ait: *Quum enim non fuerit consensus, neque crediderit, parum esse cibum, sed gustari ipsum prava conscientia, omnino peccabit*. Hæc Theophylactus. Et juxta hanc significationem, dicitur à Jurisperitis & à Theologis aliquem esse bonæ fidei possessorem. Nam illum dicunt esse bonæ fidei possessorem, qui cum recta conscientia possidet rem aliquam, & iudicat illam esse suam. Ille vero dicitur malæ fidei possessore, qui sciens rem esse alienam, possidet illam. Quinto modo accipitur fides pro objecto fidei, hoc est, pro ipsis credibilibus: sicut etiam Paulus accipit spem, quando dicit: (Tit. 2.) *exspectantes beatam spem*. In hac significatione accipit dem Paulus fidem, ubi ait: (Ephes. 4.) *Una fides, unum baptismum*. Nam idem est quod omnes credere tenentur, & non licet fidem in varias sectas dividere, quemadmodum dividitur hæresis. Sic accepit Athanasius in symbolo dicens: *Hæc est fides catholica, quam nisi quique fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Sexto modo appellatur fides Paulo totus status & religio evangelica, quæ continet omnia bona per Christum in hac vita nobis concessa. Lex (inquit Paulus (Gala. 2.) *padagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub padagogo*. Fidem venisse dixit, quia lex evangelica jam stabilis est. Et hunc statum post evangelium susceptum, vocare solemus statum fidei, & gratiæ, hoc nomine illum distinguentes à statu legis Moisaicæ. Juxta nullam significationem istarum quas hactenus enumeravimus, capimus hanc vocem fides, quando contendimus, quod non sola fides justificat. Est alia septima hujus vocis accepio, multo magis frequens in sacris litteris, & est credulitas quædam sive persuasio, aut assensus firmus & certus, sed invidens de omnibus quæ à Deo per Prophetas suos, & per se, & per Apostolos suos nobis revelata sunt. Et in hac significatione uti sunt hac voce, non solum Ecclesiastici auctores doctissimi & eloquentissimi, quales fuerunt, Cyprianus, Lactantius, Hieronimus, Ambrosius, Augustinus, sed prophani etiam auctores, qui principes linguæ latinæ omnium iudicio, censentur. Cicero lib. 2. De divinatione ait: *Adhibenda fides somniantium visis non est*. Et Plinius lib. 9. cap. 18. *Omnibus his fidem Nili inundatio asserit, omnia excedentem miracula*. Fidem asserit dixit, pro facere, ut aliquis credat. Titus Livius lib. 1. historiarum ait: *Hæc Romulo regnanti, militiæ domique gesta, quorum nihil absconum fidei, divini originis, divinitaque post mortem creditæ fuit. Absconum fidei dixit, pro incredibili. Virg. in 4. Æneid. Credo æquidem, nec una fides genus esse deorum*. Ex his omnibus testimoniis convincimus Lutheranos injuste nos reprehendere, propterea quod in hac significatione utimur hac voce, Fides. Quoniam dicunt eam non esse latinam, nec sacris litteris conformem, & ideo admonent suos sectatores, ne illa utantur in tali significatione. Sed velint, nolint, nos illa utemur, quemadmodum sacri doctores eloquentissimi usi sunt, quando de fide, quæ virtus est theologica, aut de illius actu loquuntur. Nam utrumque horum, videlicet

actus, & habitus ad illum inclinans, sive infusus ille sit, sive acquisitus, fides appellatur: quia solemus est, ut actus, & habitus, qui ad illos inclinant, eodem nomine ceptantur. Sed nos hoc loco de actu fidei disputamus, non de habitu: quia non meremur per habitus, sed per actus. His itaque omnibus præsuppositis, opus est ut jam aggrediamur ad pugnam contra Lutheranos, & probemus non semper solam fidem justificare peccatorem, sed etiam necessariam esse opera ad justificationem. Propheia cum persister à domino, quis in illius tabernaculo esset habitaturus, respondit statim, dicens: (Psal. 14.) *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*. Operatur dixit, Et cum postmodum aliqua virtutum opera enumerasset, subdit claudens psalmum: *Qui facit hæc, ut æternum*. Non dixit, qui credit hæc, sed, qui facit hæc, ut ostenderet operum virtutem & necessitatem. Præterea dominus per Esaiam Prophetam, cap. 1. bona opera nobis commendat his verbis: *Quiescite agere perverse, discite benefacere. Quarite iudicium, subvertite opprobria, iudicate pupillo, defendite viduam*. Sed quid opus est tot adferre testimonia, cum omnes libri prophetarum pleni sunt admonitionibus, quibus nos ad bona opera hortantur, alliciunt, & impellunt? Quod si novum testamentum appellas, rejiciens forte in hac parte verus, ad novum instrumentum volo mecum accedas, & audi Christum apud Matth. cap. 6. dicentem: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc constitebit illis: Quia nunquam novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem*. Quis autem est, qui dicit Christo: domine, domine, nisi qui tamen habet, quæ credit eum esse verum dominum? nec tamen omnis talis intrat in regnum cælorum. Non ergo sola fides justificat hominem. Quod autem talia Christi verba sint intelligenda de fidelibus non habente opera charitatis, testantur omnes sacri hujus loci expositores, è quibus aliquos citabo, ut vel inde nostram sententiam firmiorem faciamus, ostendentes illam fuisse sanctorum virorum doctrinam. Theophylactus exponens illum Matthæi locum, sic ait: *Hoc loco ostendit seipsum dominum quandoquidem dicit, domine, domine, Nam ita se & Deum dicit. Docet autem nos, si fidem absque operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam. Nam dicendo: qui facit voluntatem, non dixit: qui semel facit, sed qui usque ad mortem facit. Hæc Theophylactus. Et Christianus Druthmarus, super Matthæum exponens illa eadem verba, ait: *Non in hoc confidat aliquis, quia Christianus est, si non facit opera Christianitatis, non intrabit in vitam æternam: quia qui se dicit nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*. Hæc ille. Beatus Hieronymus in libro primo Commentariorum super Matthæum, hoc modo illa verba pertractat: *Sicut supra dixerat eos, qui habent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc è contrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem malis operibus destruant*. Hæc Hieronymus. In cuius verbis advertere oportet, quod dixit integritatem fidei non sufficere. Beatus Basilius in regula monachorum, capite nonagesimoquarto, inducit monachos petentes in hunc modum. *Quomodo potest quis sine charitate tantam fidem habere, ut montes transferat, aut substantiam**

quid præcipitur mihi pax, si me fata impellunt ad bellum? Injussu mihi interdicitur furtum, si me furari fata cogunt. Peribit etiam hac ratione iustitia, quæ vult ut bonis præmium, malis autem & dycolis pœna irrogetur. Injussu fur aut adulter punitur, si à fato uterque sic cogitur, ut neque adulterium hic, neque ille furtum evitare ullo modo possit. Nulla certe erit causa propter quam bonum agens, præmio potius donetur, quam malum agens: quare hic puniatur, non autem ille, cum uterque ex necessitate, & non ex libertate agat? Quod si alicui bonum aut malum imputandum venit, imputabitur factum, quod ad bonum aut ad malum impellit. At cum tale factum sit juxta istos certus ordo astrictum in causando, aut influendo, qui certus ordo sit à Deo ordinatus & illis syderibus tributus, con vincitur ut in Deum etiam mala hominum referantur, qui factum sic disposuit ut hominem ad male agendum cogeret. Hoc autem adeo est impium, ut aures horreant audire, Deum esse auctorem præcipuum nostrorum vitiorum. Accedit ad hæc id quod experientia & aliorum testimonio cognovimus. Sæpe enim contingit geminos ex eodem utero nasci valde disparis ingenii, ut clare patet de Jacob & Esau, quorum quanta fuerit dissimilitudo, liber Genesis apertissime ostendit. Quod si forte dicas ex illis geminis unum prius fuisse natum, quam alterum, & ita per illius temporis intervalum quod fuit inter ortum unius, & ortum alterius, fuisse alium & alium syderum aspectum, & ita aliud & aliud factum: tunc petam ab eis, cum in uno & ex eodem utero essent, à quo factum fuit ordinatum ut prior unus quam alter nasceretur, cum tamen sæpe contingat ut simul ex eodem semine, & ex uno coitu, ambo gemini concipiantur? Cum ergo ex eodem semine, & ex eodem coitu concepti sint, convincitur, ut saltem intra uterum unum & idem sit utriusque factum. Quod si idem erat, quo pacto fieri potuit, ut à fato ductus aut impulsus unus prior exiret quam alter? Hæc omnia adeo aperta sunt, ut non sit opus in re tam aperta plura expendere: sed solum audiamus Ecclesiæ de hac re definitionem. Concilium Braccarense primum cap. 9. suorum decretorum sic ait: Si quis animas & corpora humana fatali signo credit astringi, sicut Pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit: Et cap. decimo iterum ait: Si qui duodecim signa, id est, signa quæ mathematici observare solent, per singula animæ vel corporis dissipata credunt, & nominibus Patriarcharum ascripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Hæc Concilium Braccarense, Leo Papa hujus nominis primus etiam hanc hæresim damnat. Nam in quadam epistola ad Astoricensem Episcopum, quæ est in ordine. 71. in qua errores Priscillianistarum condemnat, sic ait: Undecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animas hominum & corpora opinantur astringi: per quam amentiam necesse est, ut omnibus Paganorum erroribus implicati, & inventia sibi (ut putant) sydera colere, & adversaria studerent mitigare. Verum ista sectantibus nullus in Ecclesiâ Catholica locus est: quoniam qui se talibus persuasionebus dedit, à Christi corpore totus abscessit. Hæc Leo Papa, vir quidem sanctus pariter & doctus. De hac re scripsit beatus Thomas Aquinas opusculum de fato, quod est vigesimum octavum in ordine opusculorum ejus. Sed in illo tractatu parum aut fere nihil contra hunc errorem disputat, ad alia se divertens. Beatus Gregorius Nissenus scripsit de fato parvum libellum, sed elegantem. Qui autem copiosius & exactius hanc rem (meo iudicio) dis-

cusit, est beatus Augustinus in quinto libro de Civitate Dei, à primo capite usque ad finem undecimi. Quo loco obsecro te Lector ut legas etiam Commentarios doctissimi viri Ludovici Vives, quoniam multum te ille juvabit ad Philosophorum de fato varias sectas intelligendas.

## F I D E S.

EX omnibus hæreticis solus Petrus Abailardus causam potissimum suarum hæresum prodidit. Certum est enim maximam hæresum partem, immo verius dixerim, totam hæresum colluviem inde esse ortam, quia videlicet volunt hæretici concludere fidem intra limites nostri intellectus, ut illa non putent credenda, quæ intellectus noster non potest ratione comprehendere. Hic autem morbus cum fuerit omnibus hæreticis communis, solus tamen Petrus Abailardus morbum aperuit. Is enim (ut beatus Bernardus illi impingit epist. 190.) dixit nihil esse credendum, quod excederet virtutem nostri intellectus. Pro hac re adfert illud Sapientis: (Ecl. 19.) Qui cito credit, levis est corde. Credere autem cito (dicit ille) est adhibere fidem ante rationem. Hanc autem errorem Paulus aperte rejicit, dicens: (Heb. 11.) Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Quæ Pauli verba five ad fidei definitionem spectant, five (ut Erasmus in annotationibus placet) laus quædam fidei, & non definitio dicenda sint, hoc certum erit, Paulum vera de fide pronuntiasse. Quid ergo est dicere argumentum non apparentium, nisi quod Chrysostomus exponit, convictio earum rerum quæ non videntur? Quasi fides sit quæ cogat nos credere ea etiam quæ non videmus, nec ratione investigare possumus. Verum hic admonet Erasmus Paulum non loqui de ea fide qua quæ credenda sunt credimus, sed de fide qua alicui fidimus, hoc est de fiducia. Sed ignoscat mihi obsecro: quoniam aliter esse ipsamet Pauli verba convincunt. Nam post illud fidei five encomium five definitionem subjungit multa quæ ad fiduciam minime referri possunt: ut est illud: Fide intelligimus aptata esse sæculi verbum Dei. Ad fiduciam non proprie respicit præterita, quemadmodum futura.

Deinde de Enoch loquens, ait: Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Ut autem apertius innueret de qua fide loquebatur, subdidit: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remuneratur sit. Ad credere Deum esse, non video, quo pacto ad fiduciam possit referri. Basilii Magnus in expositione Psalmi 115. interpretatur illum locum Pauli de vera fide, qua credimus, & non de fiducia. Beatus Augustinus in libro quinquaginta homiliarum, homilia 32. exponit illud Pauli de fide, & non de fiducia. Beatus Bernardus in illa epistola proxime citata etiam de fide exponit hoc Pauli testimonium, citans adversus Petrum Abailardum. Et Theophylactus in Commentariis super Paulum etiam de fide exponit. Quapropter spero Erasmus non male consulturum, si nos ab eo hic dissentimus, cum ipse dissentiat ab Augustino, Basilio, & aliis. Sed jam ad hujus causæ caput nostra revertatur oratio. Paulus Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 4. de Abraham loquens, ait: Qui contra spem in spem credit, ut fere pater multarum gentium. Sed quomodo in spem contra spem? Quia videlicet ex natura nulla erat spes, ut jam gignere posset, eo quod ipse multa esset ætate connectus, quia fere centenarius, & uxor ejus Sara, ex qua fuerat illi semen promissum.

sum, duplici erat mortificatione affecta, videlicet senio & sterilitate. Ideo juxta naturam non erat spes, neque verisimile, ut Sara & senex & sterilis ex homine sine concupcceptura foret. Verum et hoc ratio non suggererat, spem tamen habuit, credens possibile esse quæ illi Deus promiserat. Quod si non fuit credenda ea, quæ sunt supra rationem, immerito Paulus laudavit Abraham, quia contra spem in spem credit. Immerito etiam Zacharias pater Joannis Baptistæ fuisse punitus, quia partum uxoris suæ, quam senex & sterilis sciebat, credere noluit. Hic enim juxta Petrum Abailardum, potius fuisset præmiandus quam puniendus, quoniam (ut ille pro se citavit) qui cito credit, levis est corde. In priore epistola ad Corinth. cap. 2. Paulus ait: Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilius humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quid hic respondebit Petrus Abailardus? Si non sunt credenda (ut ille ait) nisi ea quæ ratione comprehendi possunt: tunc nostra fides debent ex humana sapientia. Paulus tamen dicit, fidem nostram non esse in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Et beatus Gregorius ait: Fides non habet merium, cui humana ratio præbet experimentum. Et beatus Augustinus in libro quinquaginta homiliarum, homilia tricesima secunda eandem ostendit doctrinam, dicens: Arcana & secreta regni Dei prius quaerunt credentes, quam faciant intelligentes. Fides enim gradus est intelligendi: intellectus autem meritus fidei. Aperte hoc Propheta dicit omnibus præpropere & præpostere intelligentiam, requiritibus, & fidem negligentibus. Ait enim: (Isa. 7.) Nisi credideritis, non intelligetis. Habet ergo & fides ipsa quoddam lumen suum in scripturis, in prophetia, in Evangelio, in apostolicis lectionibus. Et paucis interpositis subdit: Videtis ergo fratres (quandiu sint perverti, & propterandum vitiosi, qui tamquam immutati conceptus, ante ortum quaerunt abstrudere quod vobis dicunt, quid me jubet credere quod non video? Videtis ergo aliquid ut credam: Jubes credendum quod non video? Ego videre volo, & videndo credere, non audiendo. Dicit Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Ascendere vis, & gradus oblivisceris. Utique perverte homo, si jam tibi possem ostendere quod videres, non hortarer ut crederes. Hucusque Augustinus. Quibus verbis aperte satis impetere Petrum Abailardum, & videtur verba sua dirigere Augustinus in aliquem, qui forte similiter ut hic Abailardus senterat. Basilii exponens Psalmum 115. in exordio Psalmi sic ait: Fides supra omnem rationem scientiarum disciplinam, rumve animam sublimem trahit. Fides denique non geomericis aut necessariis nititur probationibus. In nomine Domini Jesu Christi Nazareni surge, & ambula. Hanc enim vocem continuo per Spiritum Sanctum subsensit est statim effectus. Ex prodigio namque divinitatis Unigeniti, manifestatio necessaria videtur est orta. Dic quæso quid ad fidem faciendam veritatemque persuadendam vehementius? an dialecticæ propositiones, nec symperalmata consequentia trahentes, an potius tale tantumque ostentum ab omnibus clarissime visum, omnemque virtutem excedens? Et parum infra: Denique in verba studio, quod ordine in finem procedit, impossibile est primorum subjectorum demonstrationes inquirere: sed necesse est omnium artium quæ probatione nituntur, principia sine investigatione aut ratione posita, reliqua quæ deinceps sequuntur, cum ra-

tionem ostendant. Sic & Theologiæ mysterium ex fide minime rationibus probata ædificium quaerit. Hæc Basilii. Sed dicit mihi aliquis: ut quid tandiu moraris hominum testimonia citans? quoniam Petrus Abailardus, omnium hominum quantumlibet Sanctorum & Doctorum sententias aspernat, & pro libito refellit. Fateor, pro hac causa in primo hujus operis libro illum in iudicium vocavi: verum etiam illum non moveant, movebunt tamen lectorem pium. Et si ille non recipit alios Doctores, recipiet tamen Paulum, ex quo convincimus, fidem esse supra humanam intelligentiam. Illud autem quod Petrus Abailardus ex Ecclesiastico cap. 19. pro se citavit, videlicet: Qui cito credit, levis est corde: non de fide in Deum est accipiendum, sed de muta inter homines ipsos credulitate. Nam aliqui virgo gloriosissima levitatis arguenda veniret, eo quod credidit Angelo dicenti, Deum fore ex illius carne concipiendum, nulla ad hoc petita aut exhibita ratione, qua id futurum possibile convinceretur. Captivemus ergo nos intellectum nostrum in obsequium Christi, ut Christo & veris ejus discipulis credamus, & sic credentes, intelligentes facilius ea, quæ antea intelli à nobis non poterant.

Secunda est hæresis, quæ sic extollit fidem, ut bonis operibus detrahat. Hunc errorem (ut August. refert lib. de hæresib. cap. 54.) docuit primo Eunomius quidam Arrianus, qui dixit omnes qui fidem quam ille docebat, tenerent, fore salvos, etiam si quantumlibet gravia peccata committerent, & in illis perseverarent. Hunc errorem jamdiu sepultum spiritu pythonic, aut potius diabolico instinctus Lutherus fasciatum ab inferis, dicens solam fidem justificare: quapropter opera ait non esse necessaria ad assecutionem vitæ æternæ, quod si fiat, ea nullo pacto justificare asserit. Sed hoc secundum usque ad alium locum differimus. Nunc ergo de solo primo disputabimus, probantes non solam fidem sufficere, sed etiam exigi à nobis bona opera: nam alias oportebit fateri, neque homicidium, neque perjurium, neque adulterium, neque furtum fore homini imputanda, modo ille credat se salvandum per virtutem promissionis in baptismo factæ. Hanc enim fidem sufficere docet Lutherus. Sic enim ait: Jam vides, quam dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantumcumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Hæc Lutherus. O vocem impiam, & totius nequitiae fomentum! O serpentis sibilum venenatum! Noverat quippe callidissimus serpens, Deum juxta operum qualitatem singulis redditurum sive bonum, sive malum, prout in corpore gessit: ideo excogitavit quo pacto posset homines securos operum facere, ut præmio frustraret. Attendite obsecro, & videbitis quot venenosus est hanc vitio fonte scateant. Si sola fides justificat, numquam ergo per alicujus sacramenti susceptionem homo justificabitur. Ecce jam vides omnem sacramentorum virtutem perisse. Pœnitentia enim nihil prodest peccatori, si sola fides justificet. Confessio peccatorum nihil juvat, sed sola fides. Eleemosyna, jejuniū, oratio, & reliqua hujusmodi nullius sunt momenti, quia sola fides juxta Lutherum justificat. Nullum quantumlibet lethale crimen obest, modo credat, quia sola fides sufficit ad salutem. Quis hæc ferre poterit? Non certe Christianus homo: immo vel parum pius philosophus ethnicus tolerare non poterit. Quis enim Ethnicus non abomi-

glorie Christi, nihil prorsus ex illa justificatione nobis arrogantes, quia gratia nihil à nobis habet, sed tota prodicitur à Deo, juxta id quod Propheta ait: (Psalm. 38.) *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Aperte etiam manifestam suam ignorantiam, in prædictis verbis Philippus Melancton, & ex illa errore suum procedere, manifestissime offendit. Ignorat quidem, aut saltem ignorare se ostendit hanc præpositionem, per, varias habere significationes, & varias causarum naturas denotare, juxta varietatem vocum quibus adjungitur. Nam aliquando dicit causam efficientem, aliquando instrumentum quo aliquid fit: aliquando causam formalem, aliquando medium seu dispositionem ad aliquid adquirendum. Ut gratia exempli si Petrus pictor penicillo aliquo pingat tabulam aliquam, & colore aliam afficiat, dicere possumus tabulam illam esse albam per albedinem: tamquam per causam formalem: per penicillum, tamquam per instrumentum: per Petrum tamquam per causam efficientem. Et horum omnium constant exempla apud Latinos Auctores. Nam Columella lib. 6. cap. 2. ait: *Vini singulos sextarios per cornu faucibus infundito.* Ubi illa præpositio, per, instrumentum denotat. Per alium ostendens suam sententiam, & per alium dare, dixit Terentius in comedia tertia. In quibus verbis, præpositio illa, per, medium denotat. Per imprudenciam decipi dixit Cicero in oratione pro Roscio Comedo, ubi constat illam præpositionem denotare causam efficientem, ita ut dicat imprudentiam fuisse causam deceptionis. Terent. in Hecyra dicit, *Ancillas dedo, quolibet cruciatu per me exquire.* Ubi Donatus interpretatur, per me, id est, per me Auctore & permittente. Et eodem modo interpretari oportet illud Persianum: per me sint omnia protinus alba. His omnibus prælibatis facile nostra sententia intelligitur, & ab omnibus extensis (ut ajunt) brachiis recipitur, nisi forte ab eo qui obstinato animo esse voluerit, aut protinus fuerit insanus. Dicimus hominem justificari per Christum, quatenus Deus est, tamquam per causam nostram justificationem efficit in nobis. Justificamur insuper per Christum, quatenus homo est, tamquam per causam meritoriam nostræ justificationis. Justificamur etiam per sanguinem Christi tamquam per medium, aut per instrumentum quo Christus nobis meritis est nostram justificationem. Justificamur etiam per gratiam quæ vera justitia est, tamquam per formam nobis inhaerentem, sicut per albedinem corpus aliquod dicitur album, & per nigredinem, nigrum. Dicimus etiam hominem justificari per fidem tamquam per medium quo tendimus ad justificationem. Est enim fides medium quodam, & necessaria quædam dispositio præparans animam ad justificationem à Deo suscipiendam. Nihil igitur detrahimus misericordie divinæ, aut fidei: nec tollimus fiduciam misericordie illius, propterea quod diximus hominem justificari per gratiam, quoniam unumquodque istorum quæ diximus, habet suam propriam, & peculiarem causalitatem in hominis justificatione. Est alius error in illis verbis Philippi Melancton & aliorum, quo asserunt fidem amitti per quodlibet peccatum mortale. Sed de hoc errore nolo in præsentiarum disputare, quoniam alienus est à primo hujus nostræ disputationis themate, & de illo specialiter differemus in proxime sequenti cap. post finitam hujus hæresis expugnationem. Restat adhuc unus alius error qui in illis prædictis verbis Philip. Melanct. & aliorum continetur. Dicunt enim fidem illam qua justificamur esse fiduciam misericordie promissæ propter Christum, & cum hæc

dixit Philippus Melancton desideravi in illis verbis modestiam & urbanitatem. Nam appellat nos indoctos & sycophantes & rabiosos, propterea quod contra illorum sententiam reclamamus, & dicit nos negare fidem significare fiduciam misericordie. Ego quidem nolo realiter injuriam, quamquam facile possum, præsertim si non pro me aliis respondere vellem; hoc tamen unum facere nitur, ut ostendam coram doctis & bonis viris, ad quos ille provocavit, non esse indoctos, aut sycophantes, eos qui prædictæ illorum assertioni contradicunt. Sed ante omnia opus est, ut omnes intelligant illum calumniam maliiose & mendaciter contra nos fingere, cum dicit nos negare fide significari fiduciam. Nam hoc ipsum, nos in principio hujus disputationis aperte confessi sumus, & aperte probavimus, ita sepe accipi in sacris litteris, & apud prophanos Auctores latinissimos. Negamus tamen fidem illam qua nos justificari facit litteræ perhibent, esse fiduciam, & hoc ipsum nunc probare oportet, partim rationibus, partim testimoniis sacre scripturæ, partim etiam testimoniis Sanctorum & Doctorum virorum. Et primo objicio illis Paulum, de quo inaniter gloriantur, & cujus testimonio suam doctrinam se tueri mentuntur. Is enim in epist. ad Ephes. (Cap. 3.) apertissimum pro nobis reddit testimonium, quum de Christo loquens, hæc ait: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia, per fidem ejus.* Ecce vides Philippe, Paulum apertissime ponentem discrimen inter fidem & fiduciam. Nam dixit fiduciam oriri à fide, quoniam dicit nos habere illam per fidem. Dixisti te provocare in hac causa ad omnes doctos & bonos viros. Numquid Paulum recusas, judicem dicens illum non esse bonum, nec doctum? Sed forte dicitis Paulum non ita interpretandum esse, ut nos putamus. Verum ne per hanc viam pateat tibi fuga, testimonium Theophilacti tibi offero, qui prædictum locum Pauli interpretans, hæc ait: *At qui non ut captivi adducti sumus, neque quod peccavimus, sed libertatem habemus, neque eam simplicem, sed cum confidentia, fiducia, & audacia. Undenam hæc nobis bona? Per fidem, inquit, hæc enim solutis peccatis libertatem nobis & fiduciam imposuit.* Hæc Theophilactus. Ex quibus verbis apertissime constat Paulum sensisse fiduciam in nobis causatam esse à fide, & inde ulterius sequitur fidem, qua justificamur, non esse fiduciam, sed causam fiducie. Et hoc ipsum Salvator noster apertissime ostendit, quum mulieri quæ sanguinis fluxum patiebatur, dixit: (Matth. 9.) *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Ex quibus verbis aperte convincitur, fidem esse causam fiducie. Nam ideo jubet illam confidere, quia jam habet fidem talem, ut salutem animæ impetraverit. Præterea, fides illa, quam tamopere laudat Paulus in epist. ad Heb. (Cap. 11.) est fides per quam justificamur. Nam de illa loquens, dicit *Abel per illam testimonium consequutum fuisse, se esse justum, & illam dicit esse, sine qua impossibile est placere Deo.* At fides illa de qua Paulus ibidem loquitur, non est fiduciam: Quamquam Erasmus, Rotherodadamus in annotationibus super illum Pauli locum ad Hebr. dicit: *Fidem illo loco à Paulo accipi pro fiducia.* Et nunc hoc advertens, aperte intelligo latens venenum in verbis Erasmi, & ex istis, sicut etiam ex aliis ejus verbis cognosco verum esse proverbium, quod vulgo jactantur est apud Germanos catholicos, Erasmus posuit ova, sed Lutherus exeluit pullos. Nam credo, Lutheranos ex hac Erasmi sententia causam accepisse, ut dicerent, fidem illam, qua justificamur, esse fiduciam misericordie promissæ propter Christum. Sed his omni-

omnibus ad nostrum scopum revertamur, ut probemus, fidem in illo loco epist. ad Heb. non significare fiduciam. Nam de illa loquens Paulus, dicit: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remuneratur sit.* Et iterum: *fide intelligimus aptata esse facultas.* At, credere, & intelligere, operationes sunt intellectus, & inde sequitur quod non pertinent ad fiduciam, quia hæc est actus, aut passio voluntatis, quod vel ex eo constat, quod est proxima spei & posterior illa. Quod si hoc Philippus negare contendat, convincam illum judicio docti & boni viri, unius certe ex illis, ad quos se provocasse dixit. Seneca epist. 16. hæc ait: *Dicam tamen sententiam, quod jam de te spem habeam, nondum fiduciam.* Ex his verbis Senecæ, aperte constat fiduciam, illius judicio, esse aliquid majus spe, & illa posterior, & inde convincitur, fiduciam pertinere ad voluntatem, quemadmodum spes, quæ illam præcedit. Deinde multa sunt circa quæ versatur fides, prout sunt, quod Deus est trinus & unus, quod Filius Dei incarnatus est, natus est ex Maria Virgine, crucifixus est, mortuus & sepultus est, resurrexit, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, circa quæ omnia nullo modo potest esse fiducia, nec circa aliquid eorum; quoniam fiducia semper est respectu futurorum, & nunquam respicit presentia neque præterita, illa autem, quæ nunc proxime enarravimus pertinere ad fidem, omnia sunt præterita, præter unum quod semper est præsens, de unitate Dei, & trinitate personarum. Præterea, Paulus ad Corint. scribens separat fidem à spe, & per consequens à fiducia. *Nunc autem, inquit Paulus, manent fides, spes, charitas: tria hæc.* Si fides (ut Lutherani dicunt) complectitur in se spem, jam non tria, sed duo sunt. Si tria sunt (ut Paulus ait 1. Cor. 13.) oportet necessario fidem ab aliis duabus separare. Post hæc tam aperta scripturæ testimonia opus est, ut sanctorum, & doctissimorum virorum judicium requiramus; quoniam Philippus Melancton, ut ex dictis illius quæ supra citavimus, constat, ad hujusmodi viros provocavit. August. in lib. De Spiritu & littera, cap. 31. de fide qua justificamur, disserens, hæc ait: *De hac enim fide nunc loquimur, quam adhibemus, cum aliquid credimus: non quam damus, cum aliquid pollicemur: nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus, non mihi habuit fidem: aliter autem, non mihi servavit fidem. Nam illud est, non eredit, quod dixi: Illud, non fecit, quod dixit. Secundum hanc fidem, quæ credimus, fideles sumus: Deo: secundum illam vero, quæ fit, quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus: *Fidelis Deus, qui non vos permittit tentari super id, quod potestis.* Hæc Augustus. Ex quibus verbis apertissime patet, fidem qua justificamur non esse fiduciam, sed operationem intellectus, qua Deo aliquid revelanti, aut dicenti credimus. Et hæc Augustus, dicens, nunquam fiducia aut confidentia habuit memoriam. Basilii in libro de vera & pia fide, fidem diffinit, sic ait: *Fides est assensus approbatio sine hesitatione.* Hæc Basil. Chrysost. super secundam caput Martini, hæc ait: *Quam magna magorum fides est, non dicentes. Si magus est puer hic, quæ necessitas fugæ est, & occultæ recessions? Hoc enim est veræ fidei, non querere causas eorum, quæ verè præcipiuntur, sed suaderi solum, ab eis. Et in expositione symboli iterum ait: *Fides religionis catholice, lumen est animæ: ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Fides lampas est, quæ sicut lampas illuminat domum: ita fides animam.* Hæc Tom. I.**

Chrysostomus. Ex quibus omnibus constat, fidem illam non esse fiduciam, quia cum illa non sit operatio intellectus, constat per illam non posse animam illuminari. Sed jam ista omittamus, & ut magis Philippum, & suos complices convincamus, demus illis, gratia disputationis, fidem esse fiduciam misericordie promissæ propter Christum: nunquam tamen inde habebunt quod per tale fidem homo justificetur. Nam peto ab illis de qua fiducia loquuntur, cum dicant hominem justificari per fiduciam misericordie promissæ propter Christum. Si intelligunt de fiducia misericordie jam acceptæ, per illam nullo modo potest homo justificari: quia illam præcedit, salutem naturam, ipsa justificatio, tamquam objectum circa quod tendit ipsa fiducia. Absurdum est enim dicere quod homo justificetur per aliquid posterius ipsa justificatione. Si vero intelligunt de fiducia misericordie nondum acceptæ, sed accipiendæ, hæc sola satis esse non potest ad justificationem hominis complendam. Quia hæc fiducia si non habet secum spem & charitatem, & opera mandatorum Dei, quibus innitatur, vana erit fiducia, & indigna quæ assequatur id quod sperat. Hujus rei apertissimum testimonium est quod multi fuerunt & sunt, hanc fiduciam habentes, qui tamen illa frustrati sunt & non sunt assequuti quod sperabant. Nam Salomon in Proverbiis (Cap. 12.) ait: *Via stulti recta in oculis suis.* Et in eodem libro (Cap. 14.) iterum ait: *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem illius ducunt ad mortem.* Et rursum in Ecclesiaste (Cap. 8.) ait: *Sunt impii qui ita securi sunt, quasi opera justorum habeant.* Et Ecclesiasticus ait: (Cap. 7.) *Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis est. Sed his omnibus testimoniis multo efficacius & apertius est, quod de Episcopo Laodiceæ Belesse Angelus dixit in Apocalypsi Joannis: (Cap. 3.) *Quia tepidus es & nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo: Quia dicitis, divos sum & locupletatus & nullus ego, & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Nihil potest apertius dici contra temerariam multorum hominum fiduciam, & vanam eorum securitatem. Pharisæus etiam ille evangelicus, in templo orans, magnum nobis præbet argumentum ad convincendum hanc vanam fiduciam. Nam ille justum se esse indubitanter credebat: de sua justificatione confidens, gratias Deo agebat, quod non esset sicut ceteri homines, & tamen hic non descendit justificatus, sed Publicanus ille qui nihil tale de se credens, à longe stabat & percutiebat pectus, dicens: (Luc. 18.) *Deus propitius esto mihi peccatori.* Deinde, si hæc istorum sententia vera esset, multo plures essent Christiani justii & salvi quam peccatores damnati: quoniam vix unus aut alter Christianus est, qui hanc fiduciam non habeat. Nam & hoc ipsum testatur Salomon in Proverbiis, (Cap. 21.) dicens: *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus.* In quibus verbis Salomon docet, homines sepe decipi in estimatione quam de seipsis habent, quoniam non tales sunt apud Deum, quales sibi videntur. De hac etiam vana fiducia testatur Chrysostomus. Homilia prima super primum caput Martini, ubi hæc ait: *Unusquisque nostrum in nulla alta re spem suam, post Dei misericordiam, nisi in morum sanctitate consistit.* Hæc Chrysostomus. Augustinus in libro de singularitate clericorum, ait: *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati, salvari se sperat. Et iterum: Ex-pedit bene timere, quam male fidere.* Hæc Augustinus. Sed audiamus Bernardum qui apertius hanc vanam fiduciam condemnat, sermone tertio de Annuntiatione, ubi hæc ait: *Nam de hostia Bulli ubi**

ubi postquam citavit illa Salvatoris verba ad mulierem adulteram: (Joan. 18.) *Neque ego te condemnabo, vade amplius noli peccare*, hæc ait: *O vox misericordiae, o auditus lætitiæ salutaris, auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiae nisi in vasa fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia solus maledictionis capax, cum vitæ delictis in spe peccamus. Quamquam nec fiducia illa permittosa. Quæ enim fiducia ei qui periculum non attendit? Aut quod tibi timoris remedium, ubi nec timor sentitur, neque materia ipsa timoris? Fiducia forlariū est, nec eget illo solatio, qui lætatur cum malefecerit, & exultat in rebus pessimis.* Hæc Bernardus. Qui nihil apertius dicere poterat, contra vanam Lutherianorum istorum fiduciam. Sed jam, ne ex verbis Philippi Melancton supra citatis aliquid reprehensionis dignum omitamus, opus est ut lectorem admoneamus, de ridicula expositione, quam ille dedit huic propositioni, fide justificamur. Dicit enim fidem se habere correlative ad misericordiam tanquam ad objectum. Quare cum dicitur, fide justificamur, hoc modo recte intelligi dicit, si illud nomen, fides, transformetur in correlativum, sic dicendo: Justificatur per misericordiam promissam propter Christum. Quis hæc audiens non ridebit? Aut quis umquam putavit fidem esse correlativam ad misericordiam, magis quam ad aliam rem credibilem? Quis etiam umquam docuit pro uno correlativo substituere aliud? Multum certe fuissent olim gavisus heretici Patristiani, si hoc novum genus interpretandi sacram-scripturam, fuissent affecti. Nam quoties legitur in sacris litteris, Filium Dei fuisse passum, illi interpretantur de patre divino, dicentes filium esse correlativum ad patrem, ac proinde dicere animum correlativum interpretari per aliud, & loco filii substituere patrem. Sed quis hæc non irideat? Quis non hæc abominetur? Certe Lutherus istorum omnium coryphæus in libro de cap. Babylonicâ de sacramento Eucharistiæ differens, docet sacram scripturam esse interpretandam in simplicissima verborum significatione, & nunquam extra grammaticæ propriam significationem, ne adversariis detur occasio eludendi. Obsecro igitur candidum lectorem, ut diligenter advertat, & tandem iudicium ferat, an sit simplicissima & propria significatione, unum correlativum interpretari per aliud illius correlativum. Postremo, ut Philippum undique vallemus, & si demus illi veram & germanam esse illam interpretationem, quam ille reddidit huic propositioni, Fide justificamur, juxta illam interpretationem, nihil magis tribuit fidei quam operibus, etiam si fidem capiat per fiduciam. Nam peto ab hoc Philippo & ejus sectatoribus, an dicat hominem justificari per solam fiduciam misericordiae promissæ, an per solam Dei misericordiam. Si per solam misericordiam promissam, dicit hominem justificari: ergo fiducia misericordiae non magis operatur ad justificationem, quam poenitentia, aut talia pietatis & religionis opera. Si per fiduciam dicit hominem justificari, quam illa sit opus nostrum, consequens est ut etiam dicat, per aliquod opus nostrum nos justificari, quod tamen ipsi audire abhorrent, tantum abest, ut fateri velint. Adversus hæc hæresim militant etiam omnia illa quæ inferius pro expugnatione proxime sequentis hæresis adducemus. Superest ut Lutheri objectionibus respondeamus. Primo namque objicit illud Apostoli ad Romanos 5. *Justificati ergo ex*

*fide, pacem habeamus apud Deum.* Et illud ad Ephesios secundo: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex verbis.* Et in epistola ad Hebræos: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et in Actibus Apostolorum beatus Petrus loquens de gentibus convertis ad Christum, (Cap. 16.) ait: *Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit: dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, fide purificans corda eorum.* Et per Prophetam Abacuc capite secundo dicitur: *Iustus ex fide vivit.* In quibus omnibus scripturæ locis & aliis quamplurimis justificatione & purificatione tribuuntur fidei, nulla operum mentione facta. Signum est (inquit Lutherus) quod sola fides sine operibus justificat hominem. Huic autem objectioni respondemus, verum esse quod in illis scripturæ locis dicitur, fidem scilicet justificare hominem, & sine illa neminem esse justum: non tamen sic dicitur, fidem justificare, quod alia omnia excludantur à justificatione. Non enim per hoc quod effectus dicitur produci ab una causa, per hoc excluditur alia quæ participet tunc illius productionis: ut gratia exempli, si quis dicat Petrum esse genitum à Joanne, non per hoc asserit eum non esse genitum à matre, etiam si mater taceatur: aut si dicat eum esse factum à patre & matre, non ideo colligendum est inde, ut intelligat talis sic loquens: Petrum non fuisse productum à Deo. Scriptura ergo, dicit justificationem pendere ex fide, non tamen illa excludit à justificatione. Nam si per hoc quod tacentur, debent reputari pro exclusis, oporteret etiam dicere baptismum non esse necessarium, quod licet in his locis scripturæ citatis, aut aliis quibuscumque tacentur, opera quæ de justificatione fit sermo, non per hoc intelligantur exclusæ à justificatione, quoniam satis est pro illorum assertionem, operum virtutem & efficiam alibi fuisse expressam, sicut patet in testimoniis per nos primum adductis. Præterea, si per hoc quod opera tacentur, licet ea excludere, aut eorum exclusionem inferre, eadem ratione liceret fidem etiam excludere à justificatione, quia sæpe operibus tribuitur justificatio, nulla fidei mentione facta. Et ut alia hujus rei testimonia mittam, vel illud est apertum, quod in commendationem eleemosynæ dicitur: (Job. 4.) *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat.* Vide quod dixit, ab omni peccato. Et iterum de eadem: (Eccl. 6.) *Ignem ardentem extinguunt aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Et rursum ipsamet veritas ait: (Luc. 6.) *Dare eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Adverte quod dicit, omnia. Postest ergo aliquis sic argumentari eo modo quo Lutherus: Ecce Salvator commendat nobis eleemosynam, & nullam profus tunc de fide mentionem faciens, dicit omnia nobis esse munda. Ergo fides non est necessaria, sed sola eleemosyna sufficit, maxime quia in die iudicii (ut ipse Dominus per Mattheum ait: (Cap. 25.) *de hac petet rationem*, ne tunc etiam ullam fidei mentionem facit. Absit autem, ut quis dicat solam eleemosynam sufficere ad vitam æternam, cum Paulus dicat: (1. Cor. 13.) *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habue-*

*buero, nihil mihi prodest.* Quotiescumque ergo fides, aut quævis alia virtus laudatur, vel aliquid honoris illi tribuitur, semper intelligendum est hæc subintellecta conditione, si recte suum exequatur officium. Tunc autem dicitur suum officium recte exequi, si alia non omiserit quæ alias præcepta sunt. Sicut enim eleemosyna dicenda est bona, quando ex fide procedens solo Dei respectu fit: sic etiam fides tunc erit sufficiens, quando illi fuerint opera necessaria conjuncta. Non enim per hoc, quod una aique altera virtus laudatur, statim invidendum est aliis, quia virtus non sibi invicem invident, quemadmodum homines facere solent, qui aliorum laudes existimant suas esse contumelias, putantque suæ gloriæ detrimentum esse cuiuscumque alterius laudes. At virtutes non ita: sed omnes sua sorte contentæ, & quælibet suum gradum agnoscens, nec inferiorem despiciit, nec altiori invidet. Per hæc ergo quæ diximus, facile (ut existimo) cuilibet objectioni responderi posset, fatentes fidem justificare, fidem exigi, fidem purificare, sed non solam, sed cum ea exiguntur omnia illa, quæ alias præcepta inveniuntur. Nam alioqui frustra præciperentur. Verum unus nobis restat scrupulus adhuc tollendus. Paulus siquidem in ea quæ est ad Romanos epistola, (Cap. 3.) ait: *Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Et in epistola ad Galat. (Cap. 2.) *Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. De his duobus scripturæ locis maxime gloriatur Lutherus, quia (ut ipsi ajunt) in illis sic tribuitur justificatio hominis ipsi fidei, ut excludantur opera. Quibus respondemus, Paulum in illis duobus locis loqui de operibus legis veteris, puta de cæremoniis & aliis ritibus, quæ omnia fuerant per Christi mortem deleta, & nullam penitus virtutem habentia, quapropter nec justificare quemquam poterant. Non autem loquebatur de operibus aliorum præceptorum decalogi. Ipsa autem materia, de qua in illis epistolis tractat, ita esse aperte convincit, quoniam (ut beatus Hylarius ait) circumstantiæ scripturarum solent scripturæ sensum aperire. Certum est autem, Paulum illis duobus epistolis circa hoc versari, ut ostendat legem Moisaicam, quæ solis Judæis data fuerat, jam cessasse, legemque Christi novam esse omnibus communem. Ideo post illa verba, quæ ex tertio capite epistolæ ad Romanos citata sunt, statim subiunxit: *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Immo & Gentium: quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcissionem ex fide, & præputium per fidem.* Et de epistola ad Galatas manifestum est in illa hoc velle docere Galatas: ut videlicet crederent legitima non esse amplius excusanda. Nam ob hæc causam testatur se reprehendisse Petrum, quod videlicet per simulationem Gentem judaizare cogebat. Nulla in illis epistolis, ad Romanos, videlicet, & ad Galat. fit mentio de aliis operibus, quam de operibus legis veteris. Nil ergo adversus nos illa scripturæ loca agunt: quoniam etiam nos fatemur illa opera legis veteris jam nullius esse momenti. Potest adhuc aliter responderi ad hoc argumentum, ut dicamus Paulum loqui in illis locis de operibus antequam fidem suscepim factis, quæ omnium consensu nullus sint meriti apud Deum, & de his nos etiam fatemur nihil profus agere ad hominis justificationem. Nam etiam illa sint aliquando necessaria ad justificationem, ut

poenitentia in peccatore, nunquam tamen illis imputabitur justificatio. Opera autem de quibus nos contendimus esse necessaria ad justificationem, sunt opera facta post fidei susceptionem, & ista sunt de quibus Apostolus Jacobus ait: (Cap. 2.) *Fides sine operibus mortua est.* Juxta hunc sensum interpretatur Beda, qui in Commentariis super cap. 2. epistolæ Jacobi, hæc ait: *Quoniam Paulus Apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est, ab eis qui sic dictum acceperunt, ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiam si male operarentur, & facinorose flagitioseque viverent, saltem vos se esse per fidem, locus iste hujus epistolæ eumdem sensum Pauli Apostoli quomodo sit intelligendus, exponit. Ideoque magis Abraham exemplo utitur, vanciam esse fidem, si non bene operetur, quoniam Abraham hæc exemplo etiam Paulus Apostolus usus est, ut probaret justificari hominem sine operibus posse. Cum enim bona opera commemorat Abraham, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit Apostolum Paulum non ita per Abraham doceri justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari, sed ad hoc potius, ut nemo arbitretur meritis priorum bonorum operum se pervenisse ad donum justificationis quæ est in fide. In hoc se Gentibus in Christum credentibus Judæi præferre cupiebant, quia dicebant se meritis bonorum operum quæ in lege sunt, pervenisse ad evangelicam gratiam. Ideoque scandalizabantur multi qui eis crederent, quod incircumcisus Gentibus, Christi gratia traderetur. Unde Apostolus Paulus (Rom. 3.) dicit posse hominem sine operibus, scilicet præcedentibus, justificari per fidem. Nam justificatus per fidem, quomodo potest nisi juste operari? Hæc Beda. Quod autem dicit, justificatum per fidem non posse nisi juste operari, non sic intelligendum est, ut qui semel justificatus est, non possit à sua justificatione excidere, aut quod coactus sit ad bene agendum, sed id eo dixit, quia cum injuste operatus fuit, eo ipso amittit justificationem. Sentit ergo hæc duo simul coherere non posse, hominem esse justificatum per fidem, & illum injuste operari. Scio hæc Pauli loca aliter ab aliis exponi, & aliter objectioni præterita responderi ab eisdem, mihi tamen ii duo sensus magis placent, quoniam magis germani sunt litteræ. Theophylactus illa loca exponit juxta primum modum, quo nos exposuimus. Ad eundem modum interpretatur beatus Ambrosius. Et beatus Hieronymus, docet illum locum epistolæ ad Galatas esse eodem modo intelligendum. Tertio objicit nobis Philippus Melancton illud Pauli ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam.* Ex quibus verbis censet Philipp. Melancton aperte colligi Abraham fuisse justificatum per solam fidem. Sed fallitur Philippus in hac parte, non intelligens quid sit reputari ad justitiam. Non enim est, ut Philippus putat, primam justificationem acquirere, sed est inter opera justitiae computari. Docet itaque Paulus in illis verbis, fidem qua Abraham credidit Deo, fuisse opus justitiae, & merito ita docet Paulus, quoniam justum est, ut quique Deo (qui veracissimus est) aliquid dicenti credat. Quod autem reputari ad justitiam, significet id quod diximus, aperte ostendo ex alio loco sacre scripturæ. Nam Propheta Regius laudans facinus Phinees sacerdotis occidentis Judæum fornicantem cum muliere Madiantide, ait: (Psalm. 105.) *Et fuit Phi-**

Phinees & placuit, & cessavit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam, in generatione & generationem usque in sempiternum. Ecce occisionem hominis reputatum esse Phinees ad iustitiam, ut dicit Chrysol. homilia 17. super Matth. cuius verba citantur a Gratiano in cap. Occidit 23. q. 8. Certum est autem in illis verbis Prophetæ, reputari ad iustitiam occisionem, non significare Phinees fuisse iustificatum per talem occisionem, sed solum significare illum sic occidendo illos fornicatores, fecisse opus iustitiæ, & talem occisionem fuisse acceptatam a Deo tamquam opus iustum. Eodem igitur modo interpretandus est Paulus quando dixit fidem Abrahamæ reputatam esse illi ad iustitiam, non quod per solum illam fidem fuerit iustificatus, sed quod sic credendo, fecerit opus iustum. Forte Philippus & sui sectatores putabant se urgere nos per id quod Paulus continuo subdit, dicens: Et autem qui operatur, merces non imputatur secundam gratiam, sed secundam debitum. Et vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides ejus ad iustitiam. Ex quibus verbis, forte Philippus colligit fidem sive operibus iustificare. Sed longe aliter quam Philippus putat, verba illa Pauli sunt intelligenda. Nam Paulus illo loco, postquam dixerat fidem Abrahamæ reputatam esse illi ad iustitiam, statim differt de operibus, post fidem & gratiam fuisse perceptam, factis. Duos itaque Paulus in illo loco distinguit homines jam iustificatos. Sunt enim aliqui qui post fidem & gratiam susceptam opera bona fecerunt, & istis dicit mercedem (hoc est, gloriam æternam quæ vera est merces) deberi non secundum gratiam, hoc est, non gratis & ex pura liberalitate, sed secundum debitum, quia gloria æterna debetur operibus bonis, non ex natura aut dignitate naturali ipsorum operum, sed ex promissione divina. Sunt alii qui post fidem & gratiam susceptam nullum bonum opus operati sunt, quia forte nullum fuit illis datum tempus, in quo recte operari potuissent, prout contigit illis qui a baptismo suscepto statim mortui sunt, & istis sola fides reputatur ad iustitiam, non solum ut iusti sint in hac vita, sed etiam ad gloriam æternam, quam Chrysol. in hoc loco appellat iustitiam plenam & cumulatam. Et hoc tribuitur istis non secundum debitum, ut primis, sed secundum gratiam & meram liberalitatem Dei, & hoc est quod dicit Paulus secundum propositum gratiæ Dei. Quod autem istis non detur merces, ita secundum debitum, sicut primis, inde evenit quod primi aliquid proprium opus habuerunt, in quo Deo servierunt, & de eo merces est aliquo modo illis debita: secundi autem solum fidem habuerunt, quæ, ut ait Paulus: (Ephes. 2.) Dei donum est, & ideo non proprie dici potest opus nostrum, quia nullus eam propriis viribus potest acquirere, juxta id quod Salvator ait: (Joann. 3.) Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Juxta hunc modum exponunt hæc Pauli verba beatus Anselmus, & Glossa, quæ vulgo dicitur Ordinaria, & beatus Thomas. Alteram interpretationem reddunt eisdem verbis hi tres Doctores, quos proxime citavimus. Sed multo magis aridet illa, quam ego nunc proxime enarravi, quoniam magis mihi videtur esse littera germana. Quarto nobis obijcit illud Pauli: (1. Cor. 3.) Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificet supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit,

quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus asserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Ex his Pauli verbis Lutherani se convincere putant, fidem solum sufficere ad salutem. Nam Paulus, ut illi existimant, his verbis docet falvos fore omnes qui habuerint Christum pro fundamento sui spiritualis ædificii, quicquid postea ædificent. Dicunt enim Paulum solum duos ordines superædificantium Christo constituisse, & utroque fore falvos, eos quidem qui ligna, fœnum, & stipulam superædificant, salvari per ignem: alios vero, qui aurum, argentum, & lapides pretiosos superædificant, salvari sine igne. Cum igitur omnes qui fidem Christianam habent, teneant Christum, quia ut Paulus ait: (Ephes. 3.) Ille per fidem habitat in cordibus nostris. Et ob eandem causam, ipse Paulus gloriatur, se fundamentum posuisse apud Corinthios, quia fidem Christi illis tradiderat, inde Lutherani aperte colligere se putant, omnes qui erudiant in Christo, tandem fore falvos, aut per ignem tribulationis consummationem mala opera perpetrata, aut sine hujusmodi igne, qui nihil mali, sed solum bona opera fecerunt. Sed hæc istorum argumentatio, ex prava, & detorta verborum Pauli intelligentia procedit. Et certe si hæc Pauli verba recte ut decet considerentur, apertissime cognoscetur, multo magis nobis favere quam illis. Nam ex illis verbis, ut postea in titulo de purgatorio longius comprobabimus, colligitur esse purgatorium ignem post hanc vitam, & distinctionem peccatorum mortalium a venialibus, peccanque venialium esse solum temporalem. Sed his omisiss, quæ ad alium locum disputanda relinquimus, opus est, ut ad nostrum scopum accedentes, probemus nihil tale in verbis Pauli contineri, quale hæretici putant. Primo quidem decipiuntur putantes eos qui opera mala perpetraverunt, & in eorum affecta permanent, habitare in Christo, & illum habere pro fundamento. Nam beatus Joannes in sua prima canonica epistola cap. 1. dicit: Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum illo, & in peccatis ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Quid est autem in tenebris ambulare, nisi opera peccatorum facere? sunt enim ipsa peccata verissima tenebræ. Et iterum in eadem epistola cap. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. At qui peccata committit, non ambulat sicut Christus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: ergo ille juxta Joannis sententiam, in Christo non manet. Et iterum in eodem loco: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat. Ex quibus Joannis verbis apertissime convincitur, illum qui odit fratrem suum, non habitare in Christo, quæ lux est verissima, quoniam ut ait Paulus (2. Cor. 6.) Quæ societas lucis ad tenebras? Et rursum iterum idem Joannes 1. 3. ait: Omnis qui in eo manet, non peccat. Et iterum: Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Si non habet vitam: ergo nec habet Christum, qui vera est vita. Postremo Salomon de sapientia divina, quæ Christus est, differens ait: (Sap. 1.) In malevolam animam non intrabit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Cum igitur ex his omnibus aperte constet, Christum non habitare in cordibus peccatorum, inde etiam convincitur, illos non habitare in Christo, quia Christus est in omnibus, qui in eo sunt. Et inde ulterius sequitur eos, qui peccata habent, non habere Christum pro fundamento sui spiritualis ædificii. Et quod de his talibus non loquatur Paulus in prædic-

tis verbis, sed de solis iustis, in quibus Deus habitat per gratiam, facile persuadetur per id quod idem Paulus continuo post illa verba subdit: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Attende observo, quid dicat: Disperdet, inquit, non salvabit. Ex quibus verbis aperte convincitur, non superædificans supra fundamentum, quod Christus est, qui, & si teneat fidem, tamen fidei conjuncta peccata mortalia. Et hunc esse verum Pauli sensum confirmo testimonio Augustini libro de fide & operibus, cap. 16. ubi declarans prædicta Pauli verba, postquam dixerat fidem etiam esse fundamentum, sic ut Christus, hæc ait: Non enim fides illa dæmonum, cum & ipsi credant, & contremiscant, & filium Dei, constentur Jesum, potest accipi in fundamentum. Quare? Nisi quia non est fides, quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque, quæ Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit. Hæc Augustinus. Est adhuc aliud in verbis Pauli diligenter considerandum, quod manifeste ostendit Lutheranos in eorum verborum intelligentia fuisse deceptos. Nam Paulus, superædificantes supra fundamentum spiritualis ædificii, distinguens, nulla alia ædificia superædificata commemorat, nisi aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulam. At peccata mortalia neque aurum sunt, neque argentum, neque lapides pretiosi, quoniam omnia hæc pretiosa sunt, peccata vero mortalia adeo vilissima sunt, ut nullus sint pretii aut valoris, nisi forte apud eos, qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Sed neque lignis, neque fœno, aut stipulæ comparantur peccata mortalia in scriptura sacra, quoniam ista res materiales facile consumuntur igne, peccata vero mortalia habent ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Et ob hanc causam illa comparantur in sacra scriptura plumbo, & ferro, & gravibus faxis, quæ suo pondere premunt, & à caelorum summo usque ad infernum trahunt. Peccata autem venialia, eo quod levia sunt, & per ignem tribulationis purgari possunt levisimis rebus, & quæ facile igne consumi possunt, comparata sunt, videlicet lignis, fœno, & stipulæ. Duos igitur ordines superædificantium Christo Paulus commemorat. Sed utroque justos, qui superædificant ligna, fœnum, aut stipulam, sunt, qui peccata sola venialia commiserunt, aut si peccata mortalia commiserunt, poenitentiam illorum egerunt, sed non plenam satisfactionem, & hos purgari oportet, antequam mercedem gloriæ recipiant, & hoc aut per ignem tribulationis in vita præsentis, aut per ignem purgatorii in vita futura. Et hoc est quod Paulus dixit eos falvos fore, sic tamen quasi per ignem. Quinto nobis obijciunt testimonia aliqua sacra scripturæ, quibus omni credenti abique ullo discrimine, & sine ulla exceptione bonorum operum, promittitur iustitia & vita æterna. Nam Christus Salvator noster, apud Joannem ait: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Paulus ad Romanos scribens, ait: Iustitia autem Dei, per

fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. In his omnibus locis aperte promittitur iustitia, & deinde vita æterna omni credenti. Et inde se recte colligere putabant Lutherani, fidem solum sine operibus satis esse ad iustitiam consequendam. Huic objectioni scio alios aliter respondere, sed omisiss illis responsonibus, quæ à littera longe distare videntur, alias referam quæ magis litteræ conveniant. Primo igitur respondeo, omnia illa sacra scripturæ testimonia esse intelligenda de fide viva, quæ quidem per dilectionem operatur, & pro hac re, suffragatur nobis B. August. in lib. de fide & operibus, cap. 13. ubi postquam dixerat mores bonos & fidem sibi invicem esse connexam, sicut dilectio Dei, & dilectio proximi quarum altera sine altera esse non potest, hæc quæ sequuntur, ait: Ideo aliquando, alterum sine altero, pro plena doctrina invenitur scripturam commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero non esse non posse, quia & qui credit Deo, debet facere, quod præcepit Deus, & qui propterea facit quia præcepit, Deus, necesse est, ut credat Deo. Hæc Aug. Quæ verba valde notanda sunt, & pro insigni quadam regula retinenda, quoniam juvant multum ad intelligentiam multorum aliorum locorum sacra scripturæ, & valent etiam ad confirmationem eorum quæ diximus, in solutione 1. argumenti. Et adhuc apertius, huic nostræ solutioni favet in eodem opere, cap. 14. sic inquit: Paulus non quamlibet fidem, quæ in Deum creditur, sed eam salubrem, planque evangelicam definit, cujus opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit 1. Cor. 13. quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videntur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ubi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio bene vivitur. Plenitudo enim legis charitas. Hæc Aug. Alio modo potest responderi prædictæ objectioni, per unam insignem regulam & notatam dignissimam, quam pro intelligentia sacra scripturæ, annotat Radulphus Flaviacensis, vir longe doctissimus in Comment. super Leviticum. Dicit enim circa universales enuntiationes quæ in sacra scriptura reperitur, hoc esse summe considerandum, an in eodem loco aut alibi reperitur aliqua particularis enuntiatio quæ illi universali contradicat. Et si talis invenitur, dicitur universalem illam enuntiationem esse intelligendam cum exceptione illius particularis, quæ reperta est illi contradicere. Quoniam nisi hoc ita esset interpretandum, necessarium esset fateri multas contradictiones in sacra feri scriptura reperiri, quod absurdum esset & grave piaculum id confiteri. Ut autem regulam istam notissimam faciam, aliqua ex sacra scriptura proponam exempla, in quibus manifesta reperitur contradictio, nisi juxta istam regulam conciliantur. Primo omnium illud est notissimum quod Assuerum dixisse Hester reginæ uxori suæ, sacra scriptura testatur (Hester 1. 6.) Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Cum dixit pro omnibus, necessario oportet excipere ipsam Hester, ita ut sit sensus, pro omnibus, præter te. Nam alioqui, minime constare potest, ut pro omnibus lex constituta sit, & non pro illa. Præterea illud est etiam apertissimum quod legitur in libro Job cap. 13. Nemo mundus à sordibus, nec infans cuius est unius diei vita super terram. In hac generali locutione necessario intelligendum est, includi exceptionem Christi salvatoris nostri, & Virginis Mariæ matris ejus, & aliorum Sanctorum, quos in utero matris fuisse sanctificatos, sacra testatur